

L'édition proposée ici a été établie à partir de celle sortie de l'officine des Elzevier, à Leyde, en 1653.

NICOLAI HEINSII, DANIELI FILII. VARIA DIVERSI ARGUMENTI POEMATIA.

IN MARCHIONEM PISANIUM,
PROELIO NORDLINGANO FORTITER DIMICANDO OCCUMBENTEM.

P_1 v.1 Cum consanguineam generet Nordlingia cladem,
2 illud opus dextrae, Martie Celta, tuae,
3 ibat inauditis in bella Pisanius ausis,
4 perque hostem innumera strage parabat iter.
5 Jam dextrum urgebant inimici Teutones agmen,
6 coeperat et retro cedere Gallus eques.
7 Ille autem : "Sta, prona fugae ; sta, foeda Juventus.
8 Quis furor, aversus praecipitare gradus ?
9 Me saltem, me bella, viri, spectate gerentem.
10 Pro pudor ! armatas sic dare terga manus ?
11 At non me dantem Germania terga videbit.
12 Hoc velit, hoc magno barbarus hostis emat.
13 Possum, Fata, mori ; si vincere posse negastis.
14 Irrita pars voti non erit illa mei.
15 Sanguine venalis quod si victoria nostro est ;
16 Di, precor, hoc diris exagitate caput.
17 Jam vidi dare terga meos. Cur vivere nolim
18 (et quid adhuc vivo ?) sat super esse reor."
19 Dixerat adversos jugulandus fertur in enses ;
20 telaque consumit pectore mille pio.
21 Continuo revocati animi, necopinaque virtus
22 asperat ultrices in fera bella manus.
23 Causa valet melior ; patriae gratare, Pisani
24 sternitur en umbris victima digna tuis.
25 At pudeat, Fortuna, tui. Tibi, perfida, tanti

26 funera, si nescis, invidiosa viri.
 27 Non potes hoc vel mille nefas abolere triumphis.
 28 Ille tuum per quot saecula crimen erit !
 29 Gallia, da veniam ; nimio victoria constat,
 30 sanguine tam forti si redimenda fuit.
 31 Salve, invicte necis, Deciisque aequande duobus,
 32 quo non Taenariis sanctior umbra jugis ;
 33 prodige magnae animae, pulchrique facillime fati,
 34 morte salus patriae cui properata sua.
 35 Tu nunc Elysias Heroum praemia sedes,
 36 et nemora ignavis non habitanda tenes.
 37 At decorat lacrimis praeclarum Gallia funus ;
 38 at sibi devotum luget acerba caput.
 39 Dat lacrimas ; quas, ni cecidisses, magne Pisani,
 40 ipsa sibi miserae nempe datura fuit.
 41 Quanti est, Posteritas, (cui vix imitanda legentur)
 42 cum patriae possis vivere, malle mori !

AD MARCHIONEM MONTOZERIUM.

P_2 v.1 O quem gloria duplicis Minervae,
 2 potentem ingenio, manu potentem
 3 dextrae fulmine et oris invidendum,
 4 vasto, qua patet, approbavit orbi,
 5 heros maxime, nec minor Dearum,
 6 quae fontem Aonium colunt, voluptas ;
 7 quod pro carmine prorsus impolito
 8 tres dono mihi miseris Poetas,
 9 priscae lumina principesque Musae,
 10 quidni gratuler hunc mihi favorem ?
 11 Quidni me rear oppido beatum ?
 12 Certe exosculator aestimoque munus,
 13 quantum quis pote munus aestimare.
 14 Non hanc quod meritis benignitatem,
 15 non quod munere me fuisse dignum
 16 tam lauto rear atque liberali :
 17 (novi quam mihi curta sit supellex,
 18 quam vix Pieris audiat vocantem)
 19 sed quo te venerer, colam, ac adorem
 20 hoc in mnemosyno remotus olim,
 21 Musae principibus tribus Latinae ;
 22 quos tu pectine sic refers eburno,
 23 ut sese referant magis nec ipsi.
 24 Quo te, inquam, venerer colamque posthac
 25 vates pessimus optimum Poetam.

AD J. LUDOV. BALZACIUM RURI VIVENTEM.

P_3 v.1 Balzaci, unica Suada Galliarum,
 2 quid te surripis invidesque turbae ?
 3 Quid dudum cupidis negas amicis ?
 4 Urbis cur strepitum fugis beatae,
 5 dum famae satur es, saturque plausus,
 6 invitum quoque rure qui sequuntur ?
 7 Ruri ferreus ah latere noli !
 8 Quid cum rure tibi, Venus venusta ?

9 Qua nil comptius ac magis politum,
 10 nil urbanus elegantiusque ;
 11 cui nil denique ruris infaceti est.
 12 Nam quid lucifuga lates latebra,
 13 Balzaci, unica Suada Galliarum ?
 14 Duris sat super est datum colonis.
 15 O, tam splendida, ter quater beatos,
 16 si norint bona, ruris inquilinos !
 17 Verum barbara et imperita turba
 18 ignorat, mihi crede, se beatam.
 19 Huc huc ocius ociusque vultus
 20 eia aulae populoque da fruendos.
 21 Quin vultus quoque das mihi fruendos.
 22 Ni te videro, Gallicana Siren,
 23 quamvis videro quicquid hic venusti,
 24 cum jam scilicet ad meos revertar,
 25 quidni jure mihi fuisse visa
 26 possint Gallica regna pernegare ?

AD AEGIDIUM MENAGIUM.

P_4 v.1 Amoenitatum promiconde Menagi,
 2 factum jocose est, comiterque et urbane,
 3 dignumque vate, quod famelica luce,
 4 luce hac nefasta, munus Heinsio misti
 5 binas lagenas flore musteo vini
 6 novi repletas ; quodque maxime laudo,
 7 tam delicati, ni quid ipse dissentis,
 8 jurare ut ausim quolibet sacramento,
 9 dono haud potesse delicatius mitti.
 10 Aquae vel ipsos nam movere potores
 11 odore possit ac sapore nativo.
 12 Quidni, o venuste noster, approbem munus ?
 13 Romana si lex esurire jejunis
 14 hac luce jussit, at sitire non jussit.

AD EUMDEM DE MACRINO PARASITO AC SYCOPHANTA NOBILI.

P_5 v.1 Ordinis ille tuus Parasiti fama Macrinus,
 2 promptus in exstructas arma movere dapes,
 3 qui praeter fumum nil captat, culte Menagi,
 4 cui dape fumantes sunt Cynosura foci,
 5 qui fumo vitam miser imputat, omnia fumo ;
 6 dic mihi, num fumos vendere jure potest ?

AD EUMDEM DE EODEM.

P_6 v.1 Nil funestius est tuo Macrino,
 2 Menagi, pater elegantiarum,
 3 si quae Pythagorae fides renato,
 4 hoc quem dicere crede vel tacentem.
 5 Nam quot funeribus tuus Macrinus
 6 lassavit Stygiam cruentus alnum !
 7 Quam saepe innumeras simul catervas,
 8 quas confecerat efficax Macrinus,

9 vidit portitor, horruitque visis !
 10 Hinc ibant vetiti coire capi,
 11 inde Ionidis agmen attagenae.
 12 Et quas Phaside Thessalis juvenus
 13 fulvo vellere jam potita vexit ;
 14 tum Saturnia cujus explicatis
 15 Argi lumina dedicavit alis.
 16 Huc tot funera gentium minorum
 17 addantur licet, alitumque strages,
 18 quas hic ordine nominare longum est.
 19 Huc tot quadrupedum greges ferarum,
 20 (queis consanguineus tuus Macrinus)
 21 adde huc gurgitis incolas natantes,
 22 quos (summo facinus stupore dignum)
 23 certus parcere nemini Macrinus
 24 festis esurialibus comedit.
 25 Omnes artubus hi quidem revulsis,
 26 ac crudeliter undiquaque truncis :
 27 qualem Deiphobum Lacaena conjux
 28 diris barbara prodidit Pelasgis,
 29 aut qui per scopulos lacer marinos
 30 acceptum Triviae tulit renasci.
 31 Sed scin' praemiolum tuo Macrino,
 32 cum jam Taenaria fruetur aura,
 33 quodnam Gnosias urna destinavit,
 34 Menagi, pater elegantiarum ?
 35 Lautum scilicet at nec invidendum.
 36 Quo possit rabidum domare ventrem,
 37 neu famelica bucca ferietur,
 38 ablegabitur ilicet Macrinus
 39 os supponere Cerbero cacanti.

DIRAE IN EUMDEM MACRINUM BUSBEQUIANI OBTRACTATOREM.

P_7

v.1 Iste iste Rhetor, Atticae fames linguae,
 2 professor artis, quam Gnathonicen dicunt,
 3 quadrae beati sorte qui suae vivunt,
 4 divae tot annos Esuriginis cultor
 5 admissionis intimae, et comes fidus,
 6 (scin" quem petamus, erudite Menagi)
 7 potum scelestus ebriumque Germanum
 8 Busbequium vocavit, at virum quantum !
 9 Indignor, horreo. Alpha Sycophantarum
 10 tam non ferenda probra dixerit gratis ?
 11 Arma, arma, Scazon ! Fulmen ignei dentis
 12 exasperetur in famelicum pectus.
 13 Dum prae dolore, praeque taedio vitae,
 14 collo plicandam concitetur ad restim,
 15 ritumque nexus occidat Lycambeo.
 16 Sperasti abire salvus, os venenatum ?
 17 Non, hercle, abibis. Huc, piaculum infandum,
 18 huc litterarum carcinoma ! Pugnandum est.
 19 Pestis macelli, vastitas culinarum,
 20 conviviorum inominata tempestas,
 21 huc huc, Celaeno Gallicana ! Pugnandum est.
 22 Quid arma differs ? Quid morare ? Pugnandum est.
 23 Nec vero, inusta quod tibi ictibus crebris

24 occalluere terga, crede te tutum.
 25 Septemplici non pelle ut ambules tectus,
 26 testudinisve tergore, aut bovis Lucae,
 27 diros retundes, quos minamur, incursus.
 28 Exsibilent jam faxo te capillati,
 29 quos e cathedra pascis ore jejuno,
 30 rerumque inani voce perperam obtundis ;
 31 ni vellicare desinis viros summos,
 32 veneficamque comprimis, scelus, linguam.
 33 Lautis potentum nec superbus in mensis
 34 coinquinante cuncta pollues tactu.
 35 Sed delicati, qui focis redundarit,
 36 nidoris auceps irritusque captator
 37 obambulabis sub meridiem frustra.
 38 Stultos nec usquam circulator offendes,
 39 queis involare, ut ante, prandium possis.
 40 Te servi abactum limine invido expellent.
 41 Ipse obserata janitor fore arcebit,
 42 frustra precantem supplicemque ut admittat.
 43 Si post repulsam pertinaciter restas,
 44 vel non amico dedolaberis fuste,
 45 triumvirali vel fricaberis loro,
 46 bovesque tergum mortui fatigabunt.
 47 Tale apparatus ubique prandium ostendes.
 48 Imo hac vel ad me lege ventita pransum.
 49 Haec mox futura Musa nostra praesagit ;
 50 quae pipulo te differet, pecus brutum,
 51 aulas per omnes circulosque magnatum,
 52 pastuque ventrem non sequente fraudabit.
 53 Qualem volucres magnae Erechthidos gnati
 54 invisam Aello cum sororibus binis
 55 caeci fugarunt contubernio vatis.
 56 Jam dira praesto crux, et uncus, et flammae,
 57 ultrix merenti quas paravit Alecto.
 58 Calumniatrix lingua jam dabit poenas,
 59 saevas, cruentas, hactenusque inauditas,
 60 quas exsecretur, horreantque venturi.
 61 Verum probabit certus augurem eventus.
 62 Hoc Delphico tibi aere crede praedictum,
 63 jejune Rhetor, Atticae fames linguae,
 64 bucca canina ni latrare desistis.

AD J. WEVELICHOVIUM, CUM LAUREAM JURIDICAM CONSEUTUS ESSET.

P_8

v.1 Laus patriae, magni genitoris amabile germen,
 2 libera Lugdunum quo solet ore loqui,
 3 cinge comas, aedum : decursa novissima meta est.
 4 Cernis ut applaudant pulpita docta tibi ?
 5 Post Ararin Rhodanumque et crudi Marte Garumnae,
 6 flumina luminibus non male nota tuis,
 7 ecce, parat reduci Phoebelia sarta Batavus,
 8 et Clario meritas vestit honore comas.
 9 Ipsa Themis stimulos properanti subdit alumno,
 10 et fovet afflatu pectora docta suo.
 11 Grande magisterii pretium, Dea sancta, tulisti.
 12 Dignior aeterno nulla favore domus.
 13 Culta diu domus illa tibi, sed et ipsa colentem

14 semper inexstinctis devenerata focis.
 15 En cauvae plausus ; in te fragor iste redundat.
 16 Laudibus exsultas illius, ille tuis.
 17 Jam regeris nato meriti benefacta paterni,
 18 nam pater ut vireas utque colare facit.
 19 Quam bene germanis successit adorea fatis !
 20 Alter ab alterius funere nomen habet.
 21 Cedite lugubres feralia ligna cupressi,
 22 dum revocant laetae laurea sarta fores.
 23 Sic ubi composuit cineres rediviva paternos
 24 limine Phoebeco, composuitque suos ;
 25 e consanguineo praepes micat altera busto
 26 ilicet, Eoae quam venerentur aves.
 27 Nil actum, Libitina, tibi. Modo, ferrea, parce,
 28 parce sacram Themidi praecipitare colum.
 29 Pone modum sceleri : satis est semel esse nocentem,
 30 quod superat doctae, floreat omne, domus.
 31 At tu nacta tuis aeternum nomen alumnis,
 32 ubere Pierio quos, pia Leida, foves ;
 33 urbs gnato Phoebea fave : tuus ille putandus.
 34 Quod placet, applausum promeruitque, tuum est.
 35 Artibus ingenuis tenero tibi comptus ab ungue,
 36 jam puer a cunis creditus ille tibi.
 37 Mox juveni Themidem totumque Heliconam dedisti.
 38 Hoc, Dea, plus meriti quam peperisse, fuit.

IN JANUM VLITIVM,
 GRATII DE VENATIONE POEMA COMMENTARIIS ILLUSTRANTEM.

P_9 v.1 Sacra pharetriferae studiumque artemque Dianae,
 2 quaeque in fulmineas arma movenda feras,
 3 lusit Apollineus testudine gratius aurea ;
 4 lusit, et aeternum Delia fovit opus.
 5 Sed tamen (usque adeo nihil est a tempore tutum)
 6 occidit annosa pagina paene mora.
 7 Mysta lacer, lacer ille tuus, Dictynna, sacerdos,
 8 qualis Aricino Virbius ante lacu,
 9 jam fugituram animam Stygia sub nocte trahebat :
 10 spesque super lapsae nulla salutis erat.
 11 Laesa etiam cum vate Dea est. Nihil ignis in ara,
 12 templa litaturae vix subiere manus.
 13 Squallet Gnosiacaecae decus immortale pharetrae,
 14 copula dispersos non ligat ulla canes.
 15 Sacrilegas impune feras neglecta terentes
 16 Maenala conspiceres Partheniumque nemus.
 17 Quid facias, Dea casta ? Piget non digna ferentem,
 18 pervia sunt tantis et tibi corda malis.
 19 Frater opem poscendus, opem ferat ille petenti.
 20 Nam propior nulli justa querela Deo.
 21 Viderit ipse pater, fulmenque volubile rursus
 22 torqueat infesta, torsit ut ante, manu.
 23 Crede mihi : nihil est, quod deneget ille sorori.
 24 Pignora conspiciui certa favoris habes.
 25 Te propter tulit ante casis habitare Pheraeis,
 26 et caelo Aemonios pascere pulsus equos.
 27 Audierat, Clariasque petit Latonia sedes,
 28 ac medicam Vati blanda rogavit opem.

29 Cui Deus (ut sibi causa viae, sibi causa doloris
 30 cognita) complexu rettulit ista dato.
 31 "Ardua res, soror, est quem poscis : at irrita ne sit,
 32 pendet ab obsequio spes tibi certa meo."
 33 Dixit, et Haganas super ilicet adstitit umbras,
 34 quas amat Aoniis non minus ille jugis.
 35 Vlitiadenque meum celer occupat, occupat omnem ;
 36 ac solito raptum numine pectus agit.
 37 Ille Deo plenus succos adhibere salubres,
 38 truncaque Pieria membra fovere manu.
 39 Nil Jovis effectum telis. Epidaurius heros
 40 Hippolyto, Grati, quod fuit, ille tibi est.

DE JOHANNE SCHILDIO,
 AD MORTEM SENECAE A TACITO DESCRIPTAM NOTAS POLITICAS EDENTE.

P_10 v.1 Damnatum Senecam scelerati lege Neronis,
 2 filaque sic sancti non temeranda senis,
 3 descripsit Tacitus, sed enim brevitare Lacaena,
 4 tritus ab attenta qui velit esse manu ;
 5 nec nisi continuo rerum pollentibus usu
 6 pervius, ac doctos multa docere bonus.
 7 Haud tulit abrupta natas brevitare tenebras
 8 Schildius, et liquidas perspicuasque facit.
 9 Ne vero tibi crede nefas impune peractum,
 10 Caesar. Aget cineres sera Megaera tuos.
 11 Jam facit invidiam diro Germania busto.
 12 Jam pia sacrilegum devovet ora caput.
 13 Huic Natura parens, huic fas pietasque Deusque,
 14 credidit huic causam Martia Roma suam.
 15 Eumenis anguineo sontem premit, ecce, flagello.
 16 Ecce, tuus Stygia nocte magister adest.
 17 Nam qui dat Senecam memoranti praemia lucis,
 18 non minus, ac Senecae si daret, ille facit.

AD SEQUANAM, DE MARIA GORNAEA.

P_11 v.1 Sequana, vitiferis quem dia Lutetia campis
 2 exceptum gremio luxuriante fovet,
 3 multa quidem spectanda tua miramur in urbe,
 4 et cur te venerer plurima causa mihi est.
 5 Seu tua quod cupidum sapientia pellicit orbem,
 6 inque peregrinos tam studiosus amor.
 7 Seu te postposita quia legit Hyantide lympha
 8 Cynthius, et potior Phocide ripa tibi.
 9 Certatim Aonides tibi se tribuere colendas :
 10 numina sunt nullo fertiliora loco.
 11 Cunctarum tamen instar habet Gornaea, quod olim
 12 Pallas Erechtheis moenibus, illa tibi.
 13 Utraque perpetua se virginitate tuetur,
 14 et fovet haec Clarias, et fovet illa Deas.
 15 At tua nobilior me, Sequana, iudice palma est.
 16 Ore loqui Phoebum nunc tibi crede meo.
 17 Cedite Pierides ; tuque, o Jovis edita partu,
 18 quamlibet armatas trade subacta manus.
 19 Non eritis pia cura mihi, velut ante fuistis.

20 Numinis afflatu nobilioris agor.
 21 Nam vobis cur thura, Deae, votiva ferantur,
 22 si, quod adoremus, vel dare terra potest ?

AD LECTOREM SCRIPTORUM EJUSDEM.

P_12 v.1 Quid, Lector erudite, perculsus stupes,
 2 dum culta magnae scripta Gornaeae legis,
 3 quod docta quam facunda non minus legis ?
 4 Utraque laude maximos Virgo viros
 5 post se reliquit, saeculi miraculum.
 6 At Lector illud erudite, si sapis,
 7 noli invidere Virgini magnae decus,
 8 quod sexui Natura debuit suo
 9 conferre, si conferre cuiquam debuit.

DE ARCE PUTEANEA, AD PEREGRINOS LOVIANUM VISENTES.

P_13 v.1 Advena, qui Grudias spectatum tendis Athenas,
 2 huc age : res longae digna labore viae.
 3 Incolit augustos Puteanus in Arce penates.
 4 Tota domus domini numine plena sui.
 5 Flecte oculos, quocumque voles, agnoscitur hospes :
 6 plurima, quae stupeas, angulus omnis habet.
 7 Huic Genio sacer ille locus. Penetrabile beatum !
 8 Advena, tam sanctos fac venerere lares.
 9 Ipsa sibi caram Tritonia condidit arcem,
 10 et colit, et nullo cultior ipsa loco est.
 11 Quid molem spatiumque domus mirare situmque ?
 12 Vasta licet, dominum non capit illa suum.
 13 Da sedem quamcumque, orbem da denique totum ;
 14 totus in hospitium non satis orbis erit.
 15 Mens spatiosa viri est. Hanc, quod capit omnia, caelum
 16 vix capit. Immensos exigit illa lares.
 17 Gaudeat, o Superi, magno domus hospite longum ;
 18 hoc gemat ereptum non nisi sera caput.
 19 Hospes digne domo, domus hospite, vivite uterque
 20 jungere par melius non potuere Dei.
 21 Tu quoque, spectator, mecum vixisse negabis
 22 nobiliorem animam nobiliore loco.

AD DANIELEM BACKERUM, CUM JURISCONSULTORUM ORDINI INSERERETUR.

P_14 v.1 Clari parentis vota spesque Backere,
 2 legum potentis docte cultor Astraeae,
 3 Phoebique amate cum sororibus Phoebi,
 4 nunc macte fama. Quicquid hactenus frugis
 5 scientiarum per vireta collectum
 6 recondidisti, tempus exigit promas.
 7 Haec te potentem reddet hora votorum.
 8 En, meta longi jam laboris affulget.
 9 Amice, prodi. Quid morare tam raras,
 10 tamque excitas edere ingeni dotes ?
 11 Quid ipse laudes invides tuas orbi ?
 12 Tandem secundos auspicare successus.

13 Nunc nunc profanam, mente vivida fretus,
 14 retunde victor obstrepentium plebem,
 15 ipsisque robur a periculis sume.
 16 Ut ille quondam montibus Leo terror,
 17 quem strage pecorum, quem cruore taurino
 18 Gaerula late sensit asperum tellus ;
 19 tandem superbum si magister armenti
 20 hostem patente apprehendit in campo,
 21 densisque circumquaque retibus cinxit,
 22 jubam tremendus surrigit lacessitam,
 23 tum fulminante spuma candicat rictu,
 24 venabulisque pectus horridum indulgens
 25 ultro minaci fertur obvius turbae.
 26 Porrone cessas, erudite Backere ?
 27 Tempus cathedram persanare responsis :
 28 audere tempus. Si quid auguror veri,
 29 nec Heinsiano pectore exsulat Paeon,
 30 vinces, Amice ; perque acuta bellorum
 31 sospes ferere. Mox tribunal Haganum
 32 vocis probare discet aureae Suadam,
 33 facundiaeque fulmini tuae assurget.
 34 Hoc omine omne mentis incita robur,
 35 clari parentis vota spesque Backere.

VOTUM AD FONTES SPADANOS.

P_15 v.1 Vos, o sulphureo medicati gurgite Fontes,
 2 tuque salutiferae lympa perennis aquae,
 3 purae lympa perennis aquae, mihi leniter adsis.
 4 Sic Lachesis victas det tibi saepe manus.
 5 Ecce, procul Batavo male sanum e littore vatem.
 6 Dii, precor, optatam sentiat aeger opem.
 7 Vos veterem mihi torpenti depellite morbum ;
 8 uviliter potae vos mihi sitis, aquae.
 9 Quod si respiciant fugitivae pectora vires,
 10 intret et amissus languida membra vigor ;
 11 marmore constituam de vivo altaria Nymphis,
 12 et meritum sanctae testificabor aquae :
 13 "Heinsius haec partae vobis monumenta salutis
 14 dedicat, undarum numina naiades."

IN NATALEM CASPARI KINSCHOTII, LUD. FIL.

P_16 v.1 Kinschotii lux ista mei, cui contigit uni
 2 Aonio doctam fonte domare sitim,
 3 ad sua conveniant geniales sacra poetae,
 4 si quis amat citharam, carmina si quis amat.
 5 Vos quoque, vos saltus Aganippidos Hippocrenae
 6 linquite Pierides, Pieridumque Pater.
 7 Tuque, Geni, propera, tibi conjunctissimus ille.
 8 Pectora habet nulli tam bene nota Deo.
 9 Hic tibi lata domus ; sed enim, pater alme, videto,
 10 ut faciles habeant tam pia vota Deos.
 11 Vivat, et, ut vivat, tibi se precor imputet uni.
 12 In monumenta nihil Styx tua juris habet.
 13 Jactet Apollineum quantumlibet Haga Secundum ;

14 nunc aliquid majus, quo sibi plaodat, erit.
 15 At tu de niveis Lux felicissima salve
 16 lucibus, et fastos inter amanda dies ;
 17 semper odoratis nos te venerabimur aris.
 18 Tu modo tam doctum fac superesse caput.

IN RULANDI KINSCHOTII CASP. FIL. DISPUTATIONEM JURIDICAM.

P_17 v.1 Hoc quoque, tantarum post tot miracula rerum,
 2 quod stupeas, hospes, terra Batava dabit.
 3 Aspice vix teneris Juvenem vernare sub annis,
 4 nunc tonat imberbi cujus ab ore Themis.
 5 Praeterea mirare, hospes, Patruosque Patremque,
 6 nomina legiferae terna dicata Deae.
 7 His etiam praeluxit Avus. Vestigia magni
 8 sanguinis in docta plurima stirpe vides.
 9 Quanta patet, Themidi sacra est domus. Inspice totam.
 10 Notior in caelo vix Dea sancta suo est.
 11 Mancipe Kinschotiis ceu vinclo nexa tenetur ;
 12 tanti erat, ignotam visere rursus humum.
 13 Quoque magis stupeas ; Themidi cum tota litarit,
 14 rite domus Musas non minus ista colit.
 15 Sic consanguineis quondam bene juncta Camenis
 16 culta sub Aonio vertice Diva fuit.
 17 At tu, Flos Juvenum, ne sanctos siste labores.
 18 Arca Deae dudum gentis in aere tuae est.
 19 Aequa paret meritis si praemia reddere vestris,
 20 debendi fuerit jam rea tota Themis.
 21 Mente parum memori quod ni benefactare condit,
 22 pignora praestabit mox proavita togam.

IN LECTULUM PARENTIS SUI,
 EPIGRAMMATE MATHEMATI A CONST. HUGENIO ZULICHEMIO CELEBRATUM.

P_18 v.1 Felix Lectule, quem sonante plectro
 2 suis Uranie dicavit astris,
 3 plectro quem Zulichemio dicavit.
 4 Felix tu quoque, quo Parente multum,
 5 Heinsi, glorior, erudite, natus.
 6 Nil jam pervigiles, laboriosas
 7 Musis nil opus imputare noctes.
 8 Fascem tot remove molestiarum.
 9 Famae molliter, en, licebit instes,
 10 quanto, Dii Superi, labore partae !
 11 At, Momo licet invidente, partae.
 12 Tolle pulpita, tolle pallidarum
 13 testes sollicitudinum lucernas.
 14 Jam stertas licet, ac utramque in aurem
 15 alto compositus fruire somno.
 16 Sed quidnam Zulichemio reponas,
 17 cui longe potiora debeantur,
 18 quam debes Heliconiis puellis ?
 19 Famam contulit ille dormienti.

IN POETAM 'APROSDIONUSON'*, ET AQUAE POTOREM STRENUUM.

(*grec : lit. 'sans rapport avec la fête de Dionysos')

P_19 v.1 Xerxes, si meruit fidem vetustas,
 2 ulturus Marathonium pudorem,
 3 jam post Thermopylas ferox subactas,
 4 Graium militibus repleat orbem.
 5 Mox fractus Salaminiis in undis,
 6 tum terra quoque victus et fugatus,
 7 Graium funeribus replevit orbem.
 8 Numquam millia tot ferunt coacta.
 9 O quis fluminibus dolor Pelasgis !
 10 Quorum nil sitientibus relictum.
 11 Lymphis hinc viduum suis videres
 12 Eurotan liquidae patrem palaestrae,
 13 hinc, qui Cecropios maritat agros,
 14 Ilisson face mystica superbum ;
 15 et quos praeterea haud opus referri.
 16 Testis Graecia ; barbaraeque Romae
 17 mendax dicitur : at nihil fefellit.
 18 Nam ter tot vada millibus trecentis
 19 siccarum potuisse quis negarit ?
 20 Quanto tempora digniora seris
 21 sunt annalibus et stupore nostra !
 22 En opponimus, en, rudis Vetustas,
 23 unum tot legionibus poetam.

ALIUD IN EUMDEM.

P_20 v.1 Creditur aequoreas olim reptasse per undas
 2 orta Cytheriaco de sale diva Venus.
 3 At tibi fluminea Veneres nascuntur ab unda.
 4 Insulas Veneres quis neget, Aule, tibi ?

ALIUD.

P_21 v.1 Negant furore te poetico tangi.
 2 Sed mentiuntur, Aule. Namque quis credat
 3 vatem furoris nil habere lymphantem ?

IN GULIELMUM PRINC. AURIACUM, CUM LEIDAE EXSPECTARETUR.

P_22 v.1 Martius Auriaci sanguis, cunabula cujus
 2 saevus Iber tremuit, mox tremet usque manum,
 3 pectora cui Genitor gentilibus excitat ausis,
 4 invictum auspiciis quem facit esse suis,
 5 nuper ab indomitis cui venit sponsa Britannis,
 6 sponsa Caledoniae gloria prima domus,
 7 nunc placidus nuptamque suam seseque videndum
 8 exhibet, et Clarias lustrat uterque deas.
 9 Dux gnatam Regina praeit, cui discolor auro
 10 ornat honoratum terna corona caput.
 11 Nec minus et genero, quem tanta sorte, superbit ;
 12 nec minus hunc regnis aestimat illa suis.
 13 Obvia progreditur doctis comitata Deabus,

14 Leidaque vix pompam sustinet alta suam.
 15 Ipsa etiam Batavis dea tutelaris Athenis
 16 Gorgone festinat Pallas operta sua.
 17 Jamque verecundus niveo rubor aestuat ore,
 18 dum se majores sentit adesse deas.
 19 At tu, qui patrii moderabere frena Lycei,
 20 debita cum Genitor sidera nactus erit,
 21 Nassaviae decus omne domus, spes certa tuorum,
 22 plurima debemus jam benefacta tibi.
 23 Hoc quoque, praesenti quod Pallade Leida superbit,
 24 Pallade quod viva conspicuaque, tuum est.
 25 Virgineam facunda Deam quid Graecia jactat ?
 26 Nupta quod Auriaco est, hoc magis illa sapit.

IN AND. ET FRANCONEM GOESIOS,
 CUM SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ORNARENTUR.

P_23 v.1 Quales Tyndaridae fratres Ledaea propago
 2 caestibus armata si micuere manu,
 3 Castor Amyclaeus cum Taenario Polluce,
 4 hic pedibus praestans, ille timendus eques ;
 5 non illis impune pugil concurrere quisquam
 6 speret, et adverso conferat arma gradu.
 7 Certa suos mansit victoria, palmaque semper
 8 circuiit meritas continuata comas.
 9 Ipsa pios praesens exhortabatur alumnos,
 10 spectatrixque animos Sparta paterna dabat.
 11 Substitit Eurotas illis luctantibus ipse,
 12 et miratrices obstupuistis aquae.
 13 Tales Goesiadas, gemino par Castore dignum,
 14 nunc, pater, in docto pulvere, Rhene, vides.
 15 Si pietas non vana tua est, si constat alumnos
 16 Numine servatos saepe fuisse tuo ;
 17 dirige facundae rorantia flumina linguae.
 18 Qucicquid in his poterunt artibus, omne tuum.
 19 Tu quoque, Leida, fave ; nam te de fratribus illis,
 20 sint modo victores, gloria certa manet.
 21 Auspicio formata tuo cultissima rerum
 22 quae pro se didicit tam bene lingua loqui.
 23 Si patet augurium praesagis, Phoebe, Poetis,
 24 pectora si vatium sunt habitata tibi,
 25 Goesiadae vincent. En, auguror. Excitus omen
 26 fac probet, et certa sint rata dicta fide.
 27 At vos, Goesiadae, modo pergite ; palma paratur.
 28 Victricem vobis jam premet illa manum.
 29 Curia se pretium longi dabit alta laboris ;
 30 qua domui vestrae non male nota via est.

AD CORN. VAN DER MYLE,
 CUM ACADEMIAE LEIDENSIS CURA EI DENUO DEMANDATA ESSET.

P_24 v.1 Auspice vix tandem caelo lux festa propinquat,
 2 qua Phoebi Mylio reddita cura sui.
 3 Phosphore, nunc propera, stimulis nunc utere totis.
 4 Lux ea quae populo gaudia, quotque feret !
 5 Illam fatidicus praesago Delphicus antro,

6 et laeto tripodes praecinuere sono.
 7 Illam Pegaseas celebravit Phocis ad undas,
 8 et Musae fastis inseruere suis.
 9 Nunc demum attollat comptos Academia vultus.
 10 Tandem habuere suos publica vota deos.
 11 Quid dubitas, Vir magne ? Licet Fortuna minetur,
 12 illa semel rebus non satis aequa tuis ;
 13 dum titulos invita tuos videatque probetque,
 14 et te victorem non neget esse suum.
 15 In te conspirant populi pia vota Batavi,
 16 et Mylium patriae publicus ambit amor.
 17 Hic quoque post alios titulus restabat honores,
 18 ne male non totus restituare tibi.
 19 Jam postliminio revocatum admitte favorem.
 20 Incipe jam meritis mitior esse tuis.
 21 Quid renuis frustra ? Jam te Populusque Patresque,
 22 jam te Nobilitas, jam vocat omnis Eques.
 23 Nec Livor meruisse negat quo teste probaris :
 24 in te jam posthac non habet ille locum.
 25 Post patriae plausus, revocataque nomina fastis,
 26 reddita post Clarii templa regenda dei,
 27 victori sero Mylio Fortuna nocebit.
 28 Concurrat toti quamlibet illa tibi.
 29 Quae vinci didicit, posthac tibi parcere discet ;
 30 perfidiae toties jam pudet esse ream.

IN THOMAE MAII SUPPLEMENTUM PHARSALIAE LUCANI,
BRITANNIAE REGIS PUBLICATUM.

P_25 v.1 Exsequias Latii fraterna strage natantis,
 2 pilaque visceribus, Roma, recepta tuis,
 3 collaque Pompei Phariam gestata per aulam,
 4 tractantemque manu vulnera rupta virum,
 5 et libertati fatalia Caesaris arma,
 6 mersaque sanguineis Thessala rura vadis :
 7 haec viridi quondam cecinit Lucanus in aevo ;
 8 saeva sed abruptum Parca reliquit opus.
 9 Nec minus invidiae Pharsalia docta Neroni est,
 10 victori, Caesar, quam fuit ante tibi.
 11 Nec minus hoc ipso Libertas vulnere passa,
 12 quam prius Emathio passa sub hoste fuit.
 13 Paene iterum Magno Latium pereunte peribat,
 14 cumque tuo visa es Roma Catone mori.
 15 Invidit lucemque operi, lucemque poetae ;
 16 damnavitque uno Caesar in hoste duos.
 17 Illimata suum plorabant carmina Vatem,
 18 feminea Pollae restituenda manu.
 19 At bene, quod dirum Pharsalia pasta Neronem
 20 cum domino nondum tota sepulta suo.
 21 Debita temporibus nostris medicina refulsit,
 22 atque interruptum continuavit opus.
 23 Quod Seneca erepto nequii praestare nepoti,
 24 quod nequii misero Polla relicta viro,
 25 auspicio, Rex Magne, tuo Pharsalia tandem
 26 cultibus aucta novis ad tua tecta venit.
 27 Libertas tibi se obstrictam Romana fatetur,
 28 acceptumque refert vel moribunda legi.

29 Quae Nero damnarat, tu das monumenta renasci,
 30 muneribus Clariam sollicitasque chelyn.
 31 Applausus sensere tuos praecordia Maii.
 32 Numinis afflatu saucius ille tui.
 33 Audiatur hoc Tamesis. Tuque, Augustissime Regum,
 34 laudibus o posthac perge favere tuis.
 35 Quod neque Pompeius Latii spes vana labantis,
 36 non Brutus potuit magnanimusque Cato ;
 37 vel post Thessalicas, te restituente, ruinas
 38 Roma tuum posthac libera munus erit.

IN ERNESTI BRINCKII PINACOTHECAM RERUM NATURALIUM.

P_26 v.1 Virtuti quodcumque datum, quodcumque labori,
 2 puppibus emensi turba Batava sumus.
 3 Vix Oriens nostrum migrarat victus in orbem,
 4 jamque catenatis Hesperus ibat aquis.
 5 India jam virides, jam nectit America, palmas.
 6 Victori spoliolum Phoebus uterque suo est.
 7 Amstela purpureae nunc gemmeus incubat urnae ;
 8 auratas musco praetulit ille domos.
 9 Rhenus Erythraeo quaesitas litore conchas,
 10 Mygdoniosque onychas, totaque regna vehit.
 11 Divitiis, Pactole, tuis, en Mosa superbit ;
 12 queisque Tagus quondam, nunc tumet Ya, vadis.
 13 Et Tartessiacis subductum montibus aurum
 14 praetulit Hesperiiis rura Batava jugis.
 15 Terrarum secreta patent, secreta profundi ;
 16 orbaque visceribus stant elementa suis.
 17 Uni divisit mundum Fortuna Batavo.
 18 Invidet, et raptas plorat Iberus opes.
 19 Quam bene tot gazas, tot mundi arcana reposti
 20 Brincki collegit sedula cura mei !
 21 Spectator, metire oculis en quicquid Idume,
 22 quicquid Arabs, Seres quicquid et Indus habent.
 23 Quanta patet Natura, domum confluit in unam ;
 24 dat mundi specimen totius illa tibi.
 25 Plus tamen his aliquid domino miramur in ipso,
 26 divitiis longe praenitet ille suis.
 27 Est illi facies, sunt hospita cuilibet ora ;
 28 plenaque candoris pectora, plena joci.
 29 Exsulat e blando morosa superbia vultu ;
 30 nec spectatori ruga timenda suo.
 31 Utraque conveniat cum ditibus India gazis,
 32 vel quaecumque alibi barbara regna latent.
 33 Conveniant Arabes, veniant Persaeque Syrique :
 34 nulla tibi tellus hoc peregrina dabit.

IN JOANNIS SMITHII
 PINACOTHECAM ANTIQUARIAM ET SUPPLEMENTILEM ROMANAM.

P_27 v.1 Antiqui Lateres, Urbisque annosa supellex,
 2 aeraque Caesaribus prisca notata suis,
 3 fibulaque, et solido gravidae dodrante bilances,
 4 tuque puellari gemma superba manu,
 5 vel quaecumque meis superant monumenta Batavis

6 e senio tantae relliquisque deae,
 7 hac demum gaudete die. Vos Smithius umbris
 8 eruit, et luci donat habere suae.
 9 Hactenus ignavis jacuisti mersa tenebris,
 10 rudere nunc major, Martia Roma, tuo.
 11 Dum videt, attonitus spectator in omnibus haeret :
 12 haeret, et aeterna se putat urbe frui.
 13 Emicat e sacris facies veneranda ruinis.
 14 Ipse cinis multum relligionis habet.
 15 Ingeniosa suo quam spirat in aere vetustas !
 16 Ut, ceu praesentes, exhibet aere deos !
 17 Irradiat spectantum animos et pectora complet
 18 numina majestas Caesariana suo.
 19 Annule, jam Dominae digitis versabere nostrae.
 20 Accipiet faciles mixta tabella notas.
 21 Haereat adductis contracta lacinia gemmis,
 22 mordeat et laxos fibula curva sinus.
 23 Fictilis attrita jam pendeat urceus ansa,
 24 libet et assuetis mixta patella deis.
 25 Denique Tarpeia Latialis fulminet arce,
 26 inque suo posthac Jupiter aere tonet.
 27 Spectandi quisquis studio trans aequora vectus
 28 Ausonias profugo remige findis aquas,
 29 quid Romam Romae peregrina quaeris in Urbe ?
 30 Jam Smithi doctos incolit illa lares.

IN JOHANNIS SOMERII, CORN. FIL. DOCTORALEM GRADUM.

P_28 v.1 Debita jam festam spectacula sistite pompam :
 2 Somerii meritis lux datur ista mei.
 3 Ille Aganippiadum celeberrima cura sororum
 4 sacra facit Themidi. Plaudite quisquis ades.
 5 Incllyta Dordracum nunc cive superbiat isto :
 6 hunc quoque post tantos quem veneretur habet.
 7 Tuque, pater, gaude : tibi palma domestica surgit.
 8 Additur en titulis palma superba tuis.
 9 Grande tuum meritum : te prodiit auspice tantus :
 10 maxima pars laudis se vovet inde tibi.
 11 Illi praelusit virtutum fama tuarum.
 12 Majores stimulos vix aliunde petet.
 13 Crescat, et in titulos exurgat rite paternos :
 14 nescio praesagit quid mihi grande Deus.
 15 At tu Somerio viridem, Themis, necte coronam
 16 arte Machaonia quam pater ante tulit.
 17 Phoebe, tibi debet si se Medicina repertam,
 18 si sunt inventum Jura Lyraeque tuum,
 19 quaere novas artes. Nihil hinc tibi, Phoebe, relictum.
 20 Exhaustit titulos jam domus una tuos.

ECLOGA AMATORIA,
 AD CONRADUM RUSIUS, IN PROCINCTU BRITANNICI ITINERIS SCRIPTA.

P_29 v.1 Forte per herboso Lycidas confinia Rheno
 2 pascua distentas agitabat lacte capellas,
 3 corda Cupidineis confossus amantia telis.
 4 Illum luminibus paetis, nigrisque calentem

5 Nisa superciliis, roseoque subegerat ore.
6 Nisa senis Dorylae, qua nec speciosior usquam,
7 nec nivei pecoris, nec ditior altera lactis,
8 inter lascivas Lugdunides. At puer illam,
9 seu Veneri dilecta extolleret Hesperus ora,
10 seu Matuta novum modo mane reviseret orbem,
11 assiduo fletu et gemitu poscebat inani.
12 Crudelem scopuli Nisam, praetentaque ponto
13 litora, crudelem resonabant avia Nisam,
14 et vicinus ager, et finitimae convalles.
15 Maesta cavis Nisam geminabat collibus Echo.
16 Vos mihi, quas lacrimas, vos, quae suspiria surdis
17 perditus ah frustra jactaverit irrita ventis,
18 dicite, formosae Dryades, quae margine Rheni
19 innocuas agitis Fauno praeunte choreas.
20 Formosae Dryades, vobis puer ipse solebat
21 commemorare suos multum miserantibus ignes.
22 Tu quoque, dum studiis gravioribus otia misces,
23 Rusiade, agrestem non aversare cicutam.
24 Vaticinor ; jam tempus erit, cum numine plenum
25 Pierio plenumque tuo mirabere Vatem
26 Maeoniis nitentem heroa ad plectra cothurnis,
27 plectra secuturis memoranda nepotibus olim.
28 Hic age nunc, gelida mecum hic requiesce sub umbra
29 faginei nemoris ; dum pastoralis amantem
30 ludit io Lycidan mihi fistula. Parcius illo
31 sic tibi, sic noceat Venus aspera. Sic sua tandem
32 Rusiaden Chloris, Lycidan sua Nisa sequantur.
33 Ergo ubi jam ad Rheni viridantem gramine ripam,
34 dilectam ad ripam consederat ; haec miser undis,
35 haec miser aversis iteravit carmina ventis.
36 Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
37 Saevus Amor certe, Lycida, deus ! Ille leaenae
38 haesit ab uberibus : illum de matre cadentem
39 edidit insani tempestas spumea ponti.
40 Nil favet, ut nunc est, Lycida, tibi. Quid, miser, ignes
41 ipse tuos nutris, nisi quo patiare repulsam,
42 et fastiditus domina viduere superba ?
43 Dura tuo Lycidae, nimis, heu nimis, aspice, ut aegrum,
44 Nisa, terat macies, macies ut pectora furtim
45 languida depascant. Nec adhuc miseraris amantem ?
46 Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
47 Faune pater, si te nunc forsan nostra propinquum
48 rura tenent sacri reducem de colle Lycaei,
49 Faune pater, (nec te numen praesentius ullum,
50 aut minus aversum pastoribus) eia age, tandem
51 da facilem assiduis et amicam questibus aurem.
52 Nam te saepe pater Corydon mihi, saepe Menalcas
53 virginibus Paphios immittere rettulit ignes.
54 Crudaque nympharum fastidia noster Amyntas
55 Maenalia dixit te flectere poste cicuta.
56 Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
57 Tu quoque, Rhene, mihi, (si, flumina, numen habetis)
58 sancte, precor, faveas : et habetis flumina numen.
59 Aut si etiam hic miserum spes irrita lactat amantem,
60 nullaque non vana est diro medicina dolori,
61 occule fluminea caput ocuis, occule, lympha.
62 Fistula si placuit quondam mea, si mea quondam

63 fistula conticuis, Pater, est adamata Napaeis,
64 occule fluminea caput ocius, occule, lymphæ.
65 Rhene, tuas Lycidæ lacrimas furor exigit. Abde,
66 abde caput, miserande, et versa flebilis urna
67 laetum exclude diem, nec amandi lumina cæli.
68 Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
69 Nuper anus Crotale magico auxiliaria rhombo
70 carmina miscebat, miseri lenimen amoris.
71 Sulphure quin etiam viridis ramalia lauri
72 tacta bitumineo crepitantem misit in aram.
73 Et ter, in hoc Nisam, ter, in hoc ego stipite Nisam
74 comhuro, Lycida. Teneri faveatis Amores,
75 tuque adsis Erycina tuis dea." Dixit. At ara
76 protinus obliquam sinuavit in aera flammam.
77 Ominis augurio gaudens ; "Feliciter ! inquit.
78 Quid, Lycida, cunctare ? Quid o connubia differs ?"
79 Illa quidem dixit "Sed nil mihi profuit omen."
80 Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
81 Quam platanus vinosa mero, vel populus unda,
82 vel levis alga mari, vel limo canna palustri,
83 tam lacrimis gaudes, Lycida miser : "O ego numquam
84 fletibus assiduis consumerer ! O mihi semper
85 perpetuis lacrimarum undarent lumina rivis !
86 O decor, o gravitas, o blanda superbia vultus,
87 carnificumque oculorum ! O, quæ potiunda negaris
88 oscula, tormentum gravius nece ! Vosque, papillæ,
89 et nimium in tantos vox ingeniosa dolores !
90 Dicite crudelem , mea carmina, dicite Nisam.
91 Aeria querqueta, intactæ solibus umbræ ;
92 grata quies umbræ maerentibus. Heu, loca, sæpe
93 et lacrimis respersa, meis et tacta querelis !
94 Quique pios Zephyri toties stupuistis amores,
95 dum tepidum lento perreperitis aera motu.
96 Vos quoque, lugentem toties totiesque gementem
97 quæ flevistis, aquæ ; solitæ dum margine ripæ
98 detinui maesto salientes carmine rivos :
99 vos placidæ valeatis aquæ. Mihi tibia posthac
100 externos per agros, et rura incognita vobis
101 concinet, (ah miserum pastorem !) raucaque luctu
102 flebile stridebit, dominosque fatebitur ignes.
103 Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
104 At tu, nil Lycidan quoniam miseraris amantem,
105 ferrea, nec mites inter numeranda Batavas,
106 extremum extremumque vale. Nos, ferrea, rursus
107 ferrea, nos, tumidum metiti Nerea, posthac
108 culta Caledoniis habitabimus arva Britannis,
109 et rapidum Tamesin, et adustam frigore Iernen.
110 Qua pater Oceanus Rutupini litoris oram
111 indomitis ferit asper aquis. Hic vivere certum est ;
112 hic profugas pascemus oves, tibi forsitan olim
113 optaris Lycidan sociali foedere junctum,
114 et nostri desiderio torquebere frustra.
115 Parcite crudeli, mea carmina, parcite Nisæ.

IN NUPTIAS JOHANNIS FREDERICI GRONOVII V. CL. ET ADELHEIDAE TENNUILIAE.

P_30 v.1 Nox o beata, Nox beatior quavis
 2 emerge luce. Prome roscidos vultus,
 3 o ter beata, prome roscidos vultus ;
 4 et incitatas effer ocius bigas.
 5 Emerge caelo. Quid morare, Nox lenta ?
 6 Ignara, nescis, quot jocique risusque,
 7 quot basiorum suaveolentium messes,
 8 quot complicatis morsiunculae labris,
 9 quot illecebrae, quot tenace complexu
 10 salacitates te, beata, circumstent ?
 11 Emerge tandem. Te requirimus votis,
 12 te flagitamus, o jocosa spectatrix.
 13 Te teste, quicquid haeret ignei ardoris
 14 Gronoviano in pectore, omne promendum est.
 15 Emerge tandem. Sola sed nec emergas.
 16 At, o beata, Vesperuginem tecum
 17 emitte caelo. Vesperuginem blandum
 18 emitte tecum. Nil agetur a Sponso,
 19 quove erubescat, quodve lumine invito
 20 facetiarum spectet arbiter tantus.
 21 Caelum coronent undique, undique illustrent
 22 pictae cohortes et manipuli astrorum.
 23 Nec Luna Noctiluca deerit in partem
 24 spectaculorum, subtrahetve se Sponso :
 25 quam non severam Latmos esse testatur.
 26 Latmos jugosus, cujus arduas cautes
 27 convertit in se saepe Diva nugantem :
 28 proterviore dum petulca complexu
 29 pectus mariti dormientis invadit,
 30 et ora semihiantibus premit labris,
 31 linguaque palpitante pruriens gestit.
 32 Sed quo vagamur ? Nox beata, venisti.
 33 At non inexoptata sponte venisti.
 34 Jam conjugali pineam thoro taedam
 35 praetendat Hymen, pronubusque jam Sponsae
 36 involvat ora flammeo maritali.
 37 Hymen pusille, flammeum para Sponsae.
 38 Hymen pusille, praefer o facem Sponsae.
 39 Hymen o Hymenaeae, quid, pusille, cunctaris ?
 40 Vos huc adeste, lecte flos juventutis,
 41 sponsi sodales, huc adeste, sed praesto ;
 42 et dissipate contubernium Sponsae,
 43 turbamque inermem submovete Nympharum,
 44 en, ut misellam et hinc et inde circumstent,
 45 vixque imminente protegant ab incursu.
 46 Nuces, Marite, sparge. Sponsa jam rapta est.
 47 Nuces, Marite, sparge. Fabula exacta est.
 48 Linquenda Sponso Sponsa sola cum solo.
 49 Nam sic oportet. Sponse, nunc forem claude,
 50 nunc obseratis adde pessulum valvis,
 51 torumque victor occupa triumphalem.
 52 At nos, relicto utroque, compotes voti,
 53 io triumphae, io triumphae, cantemus ;
 54 licentiores et feramur in lusus,
 55 totumque Fescennina perstrepat tectum.
 56 Quin et jocosa te ciebimus voce,

57 Talassio, Thalassio. Quid exsultas,
58 superba Sponsa ? Tempus horridum advenit,
59 ferale tempus, quo subacta nequicquam
60 opem invocabis exigesque maternam ;
61 nec virginali jam superbies flore.
62 Quin, ut mereris, o ferox, o immitis,
63 persolve seras pertinaciae poenas :
64 Rhamnusiamque vindicem tui fastus
65 tandem experire. Sponse, nunc tuae partes.
66 Hoc nunc agendum. Prome masculas vires,
67 Gronovioque laxa frena da toti.
68 Ut, quem maritum nuncupabimus posthac,
69 mox et parentem nuncupare possimus.
